Tunc ad patientiae medicamenta recurrat. Unde illi non fallitur qui ad
aeternam salutem non tantum corporis sed etiam animae pervenire valeat.
Ideo quippe vindemiae tempore botriones pedibus conculcantur, ut postea
regalibus conviviis intersint et absque eorum sanguine nulla potestas imperii.
Et idcirco triticum mola tunditur ut panis mundus efficiatur et in mensa magni
regis ponatur. Quanto enim hic unusquisque tribulatione tunditur tanto in
futuro regno sit tam patiens sit purior invenitur. Sed iam vos etiam alloquor
fratres egregios qui humani corporis salutem sedula tractatis curiositate et egro
tantibus officia beatae pietatis impenditis. tristes passionibus alienis. de pere
clitantibus maesti. susceptorum dolore confixi. et in alienis calamitatibus mae
rore proprio semper attoniti. Vis vestrae artis peritia docet languentibus sincero
studio serviatis. ab illo mercedem recepturi a quo possunt praemia temporalibus ae
terna retribui; Et ideo discite quidem naturas herbarum discretionem pigmen
torum commixtionesque specierum sollicita mente tractate. Verum non po
natis in herbis spem non in humanis oculis sospitatem. Nam quotiens vis medicina
legatur a domino constituta ipse etiam sanos efficit qui virtutem sine dubio concessit.
Scriptum est enim Omnia quodcumque facitis in verbo aut opere in nomine domini Iesu Christi facite
gratias agentes deo et patri per ipsum dicentes non nobis domine non nobis sed nomini tuo
da gloriam. Et illud quod iam supra diximus Omnia opera nostra operatus es domine. Noli
te ergo pigri esse languentibus domini gratia subvenire. Quicquid enim male ha
bentibus feceritis Christo domino impenditis. Ipso in die iudicii dicente. Infirmus fui et visi
tastis me. et quamdiu fecistis uni de his minimis mihi fecistis. Igitur nolite neglige
re Christum visitare. Denique scire debetis quod vitam sic agere debetis quemadmodum
sciatis quia in pauperioribus magis Christus visitatur. Divitum quippe habundantia
ipsa sibi visitationem exigit medicorum. Mementote operum domini qui centurionis
servo non dedignabatur occurrere. oppressum eo languore. Qui tamen reguli filio per corpo
ralem praesentiam dedignabatur adesse. Hic quippe superbia nostra retunditur qui in
hominibus non naturam qua ad imaginem dei facti sunt sed honores et divitias
veneramur. Ecce qui de caelo venit servo occurrere in terra non dispicit et nos
qui pulvis et cinis sumus ad pauperes egrotos invisitare dedignamur. Nolite ergo
conspicere qualem in hoc saeculo sed qualem in futuro mercedem recipiatis. Beati
enim eritis si his curationem vestram inpenditis quos retribuere vobis non posse
prospicitis. Nihil quippe debetis ab eis exigere si mercedem in aeterna requiritis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscmed1/0014